

Singulis enim etiam infimae conditionis hominibus inest aliqua excellentia ob quam eis aliquis honor in societate humana exhibetur.

Honor exhibetur *per signa exteriora*, nempe : per verba, facta, res, ut si quis ore pronuntiat excellentiam alicujus, vel ei caput inclinat vel ejus imaginem instituit. (S. Th. I. c. a. 1) Regulariter exhibetur homini praesenti vel in se vel saltem in ejus signo; quandoque tamen etiam absenti deferri potest, ut in laude absentis. Ex his patet discrimen honoris et famae, quae in existimatione interna consistit.

Laedi potest honor *negative* et *positive* : negative, si cui denegantur signa honoris pro ipsius conditione debita, ex. gr. salutatio; positive, si quid dicitur, scribitur vel agitur quod ipsius honori adversatur. Varios modos laedendi honorem AA. statuunt : convicium, improprium, irrisionem, etc., qui tamen discrimen morale non inducunt. Videsis Lugo, de Just. et J. disp. 14. n. 193 seqq.

429. ASSERTA. I. Contumelia est peccatum ex genere suo grave. (2. 2. q. 72. a. 2; Lugo, I. c. n. 192)

Ratio, quia nocet homini in bonis magni momenti et quae ab eo solent pluris aestimari quam bona fortunae. E principiis autem generalibus de voluntario liquet peccari, non tantum ab eo qui directe laesionem honoris intendit, sed ab eo quoque qui, sine causa excusante, ponit actionem e qua praevidet talem laesionem secuturam esse. Quandoque autem oriatur notabilis laesio et consequenter grave peccatum, eruendum est e prudenti consideratione laedentis, laesi, communis existimationis, etc. Contumelia certe gravior est quam detractio si (ut non raro fit), una cum honore, et famam laedit. Verum, ubi solus laeditur honor, videtur minus peccatum quam detractio : quia homo pluris aestimat famam sine honore quam honorem a fama sejunctum. Quivis enim homo rationalis mallet ab aliis magni aestimari, licet nullum exterius signum hujus aestimationis darent, quam talia signa externa recipere quibus sciret nullam subesse existimationem internam. (Lugo, I. c. n. 9)

Saepe contumelia levem culpam constituit, seu quia laesio honoris levis est, seu quia absque plena advertentia profertur. Immo, juxta S. Th. (I. c.) : " Ad entrapeliam pertinet dicere aliquod leve convicium, non ad dehonorationem vel ad contristationem ejus in quem dicitur, sed magis causa delectationis vel joci. "

II. Contumelia, aequae ac detractio (n. 419), non differt specie pro varia ratione qua honor laeditur. (Lugo, de Poenit. disp. 16. n. 265) Ratio est, quod omnes contumeliae accipiunt malitiam ex eo quod laedunt honorem, sicut furta laedunt fortunas : ergo, sicut furta sunt ejusdem speciei in ratione furti, quocumque modo fiant, ita de contu-

melia dicendum est. Supponitur tamen nulla alius speciei damna e contumelia sequi.

Hinc minime oportet explicare in confessione varia convicia in aliquem prolata, puta furis, adulteri, etc.

Quando e contumelia sive positiva, sive negativa, sequitur dehonoratione proximi, laeditur justitia, ablato honore qui, stricto jure, ad proximum pertinet. Ideo et restitutio facienda est : de qua dicitur n. 564.

CAPUT V.

DE VIOLATIONE SECRETI.

430. NOTIONES. Secretum, in praesenti materia, intellegitur res occulta quae occultanda manet.

Praeter secretum sacramentale, de quo Vol. II. n. 379 seqq. dicitur, distingui solent : *naturale*, *promissum* et *commisum*.

Naturale dicitur quod absque damno vel justo maerore alterius revelari nequit, ideoque ab ipsa lege naturali servandum praecipitur.

Promissum vocatur quod ab aliquo servandum est vi promissionis ab eo factae vel sponte, *postquam* casu aliquid didicit, vel postulante eo qui ipsi prius rem, sine contractu secreti servandi, detexit.

Commisum tandem dicitur quod alicui communicatum est ab eo cui prior *antea*, expresse vel tacite, promiserit se hac notitia non esse usurum nisi ex consensu et beneplacito communicantis. Hinc non habetur proprie secretum commisum quando notitia propriis oculis et ab ipso facto accipitur, puta si quis vocatus fuisset, praevia promissione secreti, ut interesset furto vel homicidio. In hoc enim casu non communicatur ipsamet notitia secreti cum hac promissione quod unice juxta beneplacitum communicantis usurpabitur. (Lugo, de Just. et J. disp. 14. n. 141) *Expresse* fit talis promissio si quid alicui consentienti, vel saltem non recusanti, sub secreto committitur; *tacite*, si ex adjunctis et ex munere quo fungitur secretum accipiens liquet, istud hac lege communicari. Id liquet quotienscumque munus geritur ad quod pro consilio vel remedio recurri solet, ut theologi, advocati, medici, obstetricis. Hoc secretum solet a Theol. vocari etiam *rigorosum* : quia, post sacramentale, est omnium artissimum. Attamen non omnia secreta commissa cum eodem rigore obligant, ut infra statuetur. (n. 432)

431. ASSERTA. I. Secretum naturale obligat sub gravi ex genere suo, sicut virtutes caritatis vel justitiae e quibus obligatio oritur. Ut igi-

tur talis secreti revelatio, sine causa facta, peccatum grave sit, necesse est ut proximum gravi injuria vel maerore afficiat.

Quando revelatio haec adversatur justitiae, ut sciatur quamnam ob causam legitima fiat, applicanda sunt ea quae (n. 422) de manifestatione criminis occulti statuta sunt. Quodsi soli caritati adversatur, patet secretum non esse servandum cum gravi incommodo: ad quod subeundum haec virtus non obligat.

II. Secretum promissum, qua tale, obligat sub levi tantum, si (ut communiter fit) promittens se ex sola fidelitate obligare intendit; sub gravi autem ex genere suo, si promittens obligationem ex justitia assumere intendit: quod non est existimandum, nisi diserte animum habuerit gravis obligationis sibi imponendae. Cfr. n. 607. Attamen videndum num forte, ex ipsa rei natura, graviter obliget secretum sub mera fidelitate promissum: saepe enim promissio additur naturali secreto.

Secretum mere promissum servandum non est ubi id sine gravi incommodo fieri nequit, nisi quis diserte se ad illud obligarit: secus enim non est censendus se obligasse ad tantum onus subeundum unice ut promissis suis staret. Quodsi quis diserte se ad tale damnum subeundum obligarit, per se tenetur huic promissioni stare dummodo sit licita et rationabilis. Sic, ubi promississet te secretum summi momenti servaturum esse etiam cum propriae vitae jactura, probabilius hanc promissionem adimplere deberes, quia tantum ommitteres vitam conservare ob justam servandi promissi causam. (Lugo, l. c. n. 115) Quidam AA., quorum sententiam S. Alph. (n. 971) satis probabilem vocat, opinantur tunc secretum omnino prodendum esse ad propriam vitam servandam, quia ex praecepto caritatis tenetur unusquisque propriam vitam praeferre alienae: quae tamen ratio debilis videtur. Cfr. n. 362.

Promissio certe non obligat ad servandum secretum in iis adjunctis in quibus, seclusa promissione, illud manifestandum esset: nequit enim obligare ad rem illicitam. Ita, si quis promisit se non esse revelaturum crimen quod casu didicerit, tenetur nihilominus legitime interroganti Superiori vel judici respondere ac si nihil promississet. (Lugo, l. c. n. 141)

Plerumque e promissi secreti violatione sequitur damnum illius cui promissum est: quare simul considerandum est vinculum quod ex secreto naturali exsurgit.

432. III. Secretum commissum obligat, ex genere suo, sub gravi: nam cum fiat contractus onerosus ut unus revelet, alter servet secretum, ubi unus condicionem ex parte sua adimplevit, revelando secretum, alteri obligatio ex justitia exsurgit promissionem suam adimplendi. (Lugo, l. c. n. 139)

Secretum commissum licite revelatur:

1° Si merito praesumi potest consensus illius qui secretum commisit (S. Alph. n. 971), ex. gr. quia servare secretum in illius nocumentum vergit.

2° Si id necessarium est ad grave damnum tertii innocentis avertendum, quod injuste ab eo qui secretum commisit inferitur. Hoc autem procedit, etiamsi quis insuper promississet se quaevis mala, et ipsam mortem, passurum esse potius quam secretum revelet. Talis enim promissio nequit auferre facultatem vim vi repellendi. (Lugo, l. c. n. 142; Lehm. I. n. 1198) Exemplum habes in medico qui novit sponsum, qui se sanum fingit, laborare morbo venereo vel contagioso: is, si deceptor admonitus desistere nollet, posset rem puellae deceptae manifestare.

3° Si id necessarium est ad avertendum grave damnum commune Status vel Ecclesiae, "quia salus reipublicae suprema lex est, et omnis promissio ex qua respublica grave detrimentum capere potest, illicita atque ideo nullius momenti est." (D'Annib. II. n. 271) Non sufficeret tamen damnum publicum leve quod oriatur ex. gr. ex eo quod aliquis reus impunitus maneat.

4° Si id necessarium est ad vitandum grave damnum proprium, etiamsi inde alteri immineret periculum mortis. Nemo enim, nisi diserte id promiserit, censendus est se obligasse ad tantum onus pro secreti custodia ferendum. In specie, ubi agitur de secreto cognito e muneris exercitio, tam gravis obligatio cederet potius in commune detrimentum: cum saepe homines propterea refugerent a consiliis dandis et ope ferenda. (S. Alph. n. 971) Excipe tamen, si ex revelatione imminet grave damnum commune, ex. gr. favor hosti datus manifestando patrii exercitus situm, etc.

Verum non sufficit ad revelationem secreti commissi damnum quod tertio innocenti imminet absque ulla culpa secretum committentis, ex. gr. quia iudices ex errore alium condemnaturi sunt; neque sufficit obligatio qua premitur is qui secretum commisit ad illud manifestandum, ex. gr. si ipse, in iudicio interrogatus, falsum testatus est. Sed advertendum est non omnia secreta commissa servanda esse cum eodem rigore, plura autem in singulis casibus consideranda esse, ex. gr. quantum damnum immineat tibi ex secreti occultatione et quantum alteri ex ejusdem divulgatione, utrum secretum commissum sit tibi in tuam tantum utilitatem an in utilitatem alterius vel utriusque, utrum alter te ex quadam necessitate consuluerit an id omnino libere communicaverit. (Lugo, l. c. n. 116) De manifestatione secreti coram tribunalibus, cfr. Vol. II. n. 17.

Manifestare secretum, etiam commissum, uni vel alteri viro prudenti qui illud servaturus merito existimetur, non est grave; immo, si fit consilii petendi vel doloris leniendi causa, nullum peccatum est. Cfr.

dicta in argumento plane simili n. 420. Attamen grave foret secretum magni momenti revelare ei cui secretum committens specialiter illud celari voluerit. (S. Alph. l. c.)

433. IV. Per se grave peccatum est **litteras alienas** aperire et legere; similiter legere litteras jam resignatas vel similia scripta quae ab alio amissa sunt vel servantur recondita in loco clauso, ex. gr. in serinio, aut secreto; ex. gr. intra pulpitem. Hoc enim graviter adversatur juri quod cuique competit servandi secreta sua, quae crebro, ob necessitatem humani commercii, litteris mandanda sunt. (Lugo, l. c. n. 148)

Attamen leve id foret si quis merito praesumeret in iis litteris nihil gravis momenti contineri, puta quia novit naturam rerum de quibus inter duos tractari solet, vel ob modum minus cautum quo scribens utitur (carte postale, carte de visite). Per accidens huic levi injuriae potest conjungi gravis laesio caritatis, nempe si timendum est ne alter ex hujusmodi lectione gravem tristitiam concipiat. (S. Alph. l. 2. n. 70)

V. Licite, etiam habitualiter, aperiuntur litterae alienae :

1° Ob consensum expressum vel praesumptum illius ad quem mittuntur litterae vel illius a quo mittuntur : uterque enim (nisi aliunde quid obstet) jure ad cognitionem secreti cedere potest.

2° Ob regulas vel statuta quibus aliquis libere se subiecit. Ita in plerisque Ordinibus religiosis fas est, ex regula, Superiores aperire et legere litteras ad subditos directas vel ab iis scriptas. Excipiuntur tamen litterae ad Superiores mediatas datae, ut ex necessitate boni regiminis liquet, vel quibus contineantur secreta quae scriptor jure nollet Superiori manifesta fieri, ex. gr. conscientiae secreta. (Ball. P. n. 59) Attamen posset Superior, si rationabile dubium de natura commercii epistolarum haberet, inspicere num reapse agant de secretis conscientiae, prout inscribuntur; quod ubi constaret, jam abstinere deberet.

3° Ad avertendum damnum quod ex illis litteris legenti aliive oriatur. Hinc generatim licet Superioribus, puta patri aut magistro, legere litteras subditorum, puta filiorum vel alumnorum qui sub eorum potestate sunt : cavere enim debent ne quid mali inde adveniat iis quorum curam gerunt. (Sanch. Cons. Mor. l. 6. c. 6. d. 3. ; D'Annib. II. n. 270) Id tamen non putaverim extendendum ad maritum erga uxorem, utpote potius sociam quam subditam. Plura in hoc argumento pendent a moribus in regione vigentibus : his enim tacite consentiunt quotquot aliqua ratione seipsos sub alius auctoritate constituunt vel subditos suos alii, vices suas acturo, committunt.

In casibus autem particularibus idem licet, ubi apertio vel lectio lit-

terarum vere probabile medium est avertendi grave malum quod timeatur. Ideo (nisi leges obstant) publicis ministris id licet ubi id bono communi expedire, *ex gravi causa*, judicaverint; similiter privatis, ad praecavendum injustum damnum sive proprium, sive alienum, ex. gr. hero qui probabiliter existimat famulum cum furibus commercium fovere.

Notandum in omnibus his casibus nullum alium usum scientiae e litteris haustae licere quam qui conducat ad avertenda damna communitatis vel singulorum. Neque Superior, legens ex regula vel statutis epistolas subditorum, alumnorum etc., ampliorem usum hujus scientiae facere potest, nisi forte supponere possit consensum scribentis vel accipientis epistolam : qui sane supponi nequit si quis ea notitia utatur cum gravamine alterutrius, ex. gr. propalando defectus occultos.

Controvertitur inter AA. quid dicendum sit de eo qui litteras in minuta fragmenta laceratas et in locum patentem projectas, junctis partibus, legere conetur. S. Alph. (l. c.) opinatur probabilius eum contra justitiam peccare, quia litterarum dominus, eo ipso quod eas minutim dilaceravit, satis significavit se nolle cedere jure suo. Sed praeplacet sententia quam defendunt Lugo (l. c. n. 150) et Ball. P. (n. 59) : abesse peccatum contra justitiam, quia projiciens videtur cedere jure suo dum eas litteras, quas posset comburere, permittit in loco publico exponi periculo manifestationis. Igitur eas sine justa causa legere, peccatum erit veniale curiositatis; sed attendendum ex ea lectione oriri quandoque obligationem secreti naturalis servandi.